

lesunt. Potest adhuc & hoc modo accipi, quod ait: Unguentum exinanitum nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te. Unigenitus Dei filius cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, & formam servi accepit. Exinanivit autem de plenitudine, sine dubio, in qua erat. Illi ergo qui dicunt: Quia de plenitudine eius nos omnes accepimus, ipsi sunt adolescentulæ, quæ de ea plenitudine ex qua se ille exinanivit, & factum est unguentum exinanitum nomen eius, percipientes dicunt: Post te in odorem unguentorum tuorum curremus. Nisi enim exinanisset unguentum: hoc est, plenitudinem divini spiritus, & humiliasset se usque ad formam servi, capere eum nullus in illa divinitatis plenitudine potuisset: nisi sola fortassis sponfa, pro eo quod videtur indicare quia unguentum istud exinanitum non sibi, sed adolescentulis dilectionis dederit causam. Sic enim dicit: Unguentum exinanitum nomen tuum: propterea adolescentulæ dilexerunt te. Ac si diceret: Adolescentulæ quidem propterea dilexerunt te: quia exinanisti te de forma Dei, & factum est unguentum exinanitum nomen tuum: ego autem non pro exinanito unguento, sed pro ipsa unguentorum plenitudine dilexi te. Hoc enim indicat in eo loco, ubi dicit: Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Quod verò etiam ipsa cum adolescentulis post ipsum se cursuram dicit: hanc aio esse causam, quod perfecti quique omnia omnibus fiant, ut omnes lucrifaciant: sicut jam supra exposuimus. Introduxit me rex in cubiculum suum: exultemus & jucundemur in te. Cum indicasset sponfo suo sponfam, quod adolescentulæ odore eius captae, currebant post ipsum, cum quibus etiam ipsa cursura esset, ut eis formam præberet in omnibus: nunc quasi laboris sui consecuta jam palmam, pro eo quod concurrentibus, introductam se dicit ab sponfo rege in cubiculum eius: ut ibi videret cunctas opes regias. In quo utique merito jucundatur & exultat, utpote quæ secreta jam regis, & arcana prospexerit. Hic est, secundum propositum dramatis ordinem, quasi historicus intellectus. Sed quoniam cuius res agitur, Ecclesia est ad Christum veniens, vel anima Verbo Dei adhærens: quod aliud cubiculum Christi, & promtuarium Dei credendum est, in quo vel Ecclesiam, vel animam coherentem sibi introducat, nisi ipse arcanus sensus eius, & reconditus? de quo & Paulus dicebat: Nos autem sensum Christi habemus, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Hæc illa sunt, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ preparavit Deus his qui diligunt eum. Cum igitur Christus animam in intelligentiam sui sensus inducit, in cubiculum regis introducta dicitur, in quo sunt thesauri sapientiæ ac scientiæ eius absconditi. Non mihi autem vacuum videtur, quod cum potuisset dicere: Introduxit me sponfus meus, aut aliquid huiusmodi, aut fraternus meus, ut ei moris est: nunc quia cubiculum dictura erat, regis dixerit cubiculum: & non aliud nomen posuerit, in quo posset fortassis aliquis etiam mediocriter intelligi. Sed propterea arbitror in his regem nominatum: ut ostenderetur per hoc nomen prædices cubiculum, utpote regium, & multis atque inmensis opibus repletum. Prope hunc omnino mihi videtur fuisse & ille, qui dixit raptum se esse usque ad tertium cælum, & inde in paradysum, & audisse verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Quid enim putas esse illa verba quæ audivit: nonne à rege audivit, & in cubiculo, & prope cubiculum positus audivit? Et erant credo illa verba talia quædam, quæ hortarentur eum ad majorem profectum, & promitterent ei, quod si perseveraret usque in finem, & ipse posset intrare regis cubiculum: secundum illud quod per Prophetam quoque promittitur: Dabo tibi thesauros obscuros, occultos, invisibiles. Aperiam tibi ut cognoscas, quia ego sum Dominus Deus tuus, qui vocavi nomen tuum Israel. Currunt ergo adolescentulæ post ipsum, & in odorem eius, unaquæque tamen pro viribus, alia quidem velocius, alia paulò tardius: alia etiam inferius ceteris & ultimo, alia primo loco: verumtamen currunt omnes: sed una est perfecta quæ cucurrit sic, ut perveniret, & sola acciperet palmam. Sola enim est quæ dicit: Introduxit me rex in cubiculum suum: cum prius non de se sola, sed de pluribus dixisset: quia post te in odorem unguentorum tuorum curremus. Introducit ergo in cubiculum regis, & efficitur regina: & ipsa est de qua dicitur: Regina altit à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietatibus. De his autem adolescentulis, quæ post ipsam cucurrerant, & procul ab ea in ipsis currenti spatii remanserant, dicitur: Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius adducentur tibi. Addu-

centur in lætitiâ & exultatione, inducentur in templum regis. Sed & illud etiam in hoc advertere debemus, quod sicut rex habet cubiculum quoddam, in quod reginam sive sponfam suam introducit; ita habet & sponfa suum cubiculum, in quod monetur per Verbum Dei ingressa claudere ostium: & ita conclusis illis omnibus divitiis suis, intra illud cubiculum, orare eum qui videt in abscondito, & perspicit quantas opes, animi scilicet virtutes intra cubiculum suum sponfa condiderit; & videns eius divitias, det ei petitiones suas. Omni enim habenti dabitur. Quod autem ait, exultemus & jucundemur in te: videtur ex persona adolescentularum dici, vel optantium & petentium à sponfo: ut quemadmodum sponfa consecuta est quæ perfecta sunt, & exultat, ita ipse etiam suum implere cursum, & pervenire usque ad regis cubiculum mereantur: ut perspectis & intuitis omnibus his, de quibus illa gloriatur, etiam ipsæ exultent sicut & illa & jucundentur in eo. Vel etiam ad sponfam potest dictum videri ab adolescentulis congratulantibus ei, & promittentibus petentibusque, ut participes fiant exultationis eius & lætitiæ. Diligemus ubera tua super vinum. Sponfa quidem postquam oscula meruit ab ipso sponfi ore suscipere, & uberibus eius perfusi, ait ad eum: Bona sunt ubera tua super vinum. Adolescentulæ verò quæ nondum ad id beatitudinis venerant, neque summam perfectionis acceperant, neque usum & operibus fructus perfectæ charitatis expleverant: ut quasi expertæ pronuntiarent de uberibus eius, quia bona sunt: videntes tamen sponfam delectari, & refici ex uberibus sponfi, ex fontibus scilicet sapientiæ & scientiæ, quæ de uberibus eius fluunt, & pocula cælestis doctrinæ sumentes, tanquam imitatrices perfectionis eius, & desiderantes eisdem vestigiis incedere, promittunt & dicunt: Diligemus ubera tua super vinum: id est, nos quidem nondum in id perfectionis ascendimus, ut jam diligamus ubera tua plus quam vinum, vel certe ubera quæ sunt super vinum (utroque enim modo sensus stare videbitur) gerimus tamen spem, utpote adolescentulæ in id ætatis proficere, quo possimus non solum pasci, & ali ex uberibus Verbi Dei, sed & diligere alentem. Istæ sunt autem adolescentulæ (ut sæpe jam diximus) animæ, quæ primis, & initio valentibus eruditionibus videntur imbutæ: & velut vino quodam lactificatæ, institutione tutorum duntaxat curatorumque & pedagogi: utpote parvulæ, & quæ habent quidem in viribus amare vinum: non tamen habent in ætate, ut auctorem uberum sponfi moveri, aut excitari possent. Sed ubi advenit plenitudo temporum, & Christus in eis proficit ætate & sapientiâ, & jam sentire ceperunt quid sint ubera sponfi, quæque in his perfectio Verbi Dei, & doctrinæ spiritualis plenitudo designetur, etiam promittunt: quia plusquam vinum quod nunc tanquam parvulæ bibunt, dilecturæ sint ubera sponfi: id est, propensiores futuræ erga perfectæ, & omni plenitudine decreta dogmata Christi, quam jam antea fuit in communibus studiis, sive in legis & Prophetarum velle sunt institutionibus extitisse. Equitas dilexit te. Etiam hoc mihi videtur adolescentulæ proloqui, velut satisfaciens, pro eo quod dilecturas super vinum se promiserunt ubera sponfi: & non jam in præsentia diligant, neque integram vim charitatis ostendant. Est ergo vox ista velut inculantium semetipsas, quasi quæ nondum abjecta omni iniquitate pervenerint ad æquitatem, ut possint jam diligere vinum super ubera sponfi: scientes inconveniens esse, ut aliquid adhuc residet iniquitatis in eo, qui ad perfectionem spiritualis & mysticæ doctrinæ pervenerit. Quia ergo summa perfectionis in charitate consistit: charitas autem nihil iniquitatis admittit: ubi autem nihil iniquitatis est, ibi sine dubio est æquitas: merito ergo æquitas esse dicitur quæ diligit sponsum. Et vide, si non ob hoc etiam videtur illud in Evangelio à salvatore dictum: Si diligitis me, mandata mea servate. Si ergo qui diligit Christum, mandata eius custodit: & qui mandata eius custodit, nulla est in eo iniquitas, sed æquitas in eo permanet: æquitas ergo est quæ mandata eius custodit, & diligit Christum. Et rursum: Si is qui mandata custodit, ipse diligit Christum: mandata autem in æquitate servantur, & æquitas est quæ diligit Christum: qui iniquum aliquid gerit, neque mandata custodit, neque diligit Christum. Erit ergo ut quantum iniquitatis in nobis est, tantum longè simus à dilectione Christi: & tantum mandatorum eius prævaricatio habeatur in nobis. Et ideo regulam quamdam directam ponamus esse æquitatem: ut si quid in nobis iniquitatis est, hanc adhibentes, & superducentes directam mandatorum Dei: si quid in nobis curvum, si quid tortuosum est,

ab

ab hujus regulæ linea refectur, ut possit & de nobis dici: Equitas dilexit te. Possimus autem etiam sic accipere, ut videatur simile esse quod dixit: Equitas dilexit te, ac si dixisset: iustitia dilexit te, & veritas, & sapientia, & pudicitia; & singulæ quæque virtutes. Nec mireris sanè, si dicimus virtutes esse quæ diligunt Christum cum in aliis ipsarum virtutum substantiam, Christum soleamus accipere. Quod & frequenter invenies in scripturis divinis, pro locis & opportunitatis aptari. Invenimus namque ipsum, & iustitiam dici, & pacem, & veritatem. Et rursum scriptum est in psalmis: Iustitia & pax oculatæ sunt. Et, veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit: quæ utique omnia, & ipse esse, & rursus ipsum dicuntur amplecti. Sed & sponfus idem dicitur, idem etiam sponfa nominatur: ut in prophetia scriptum est: Sicut sponfo imposuit mihi mitram, & sicut sponfam ornavit me ornamento.

HOMILIA SECUNDA.

USCA sum, & formosa, filia Jerusalem: ut tabernacula Cedar, ut pelles Salomonis. In aliis exemplaribus legitur: Nigra sum, & formosa. Rursus in hoc persona sponfa loquentis introducit. Loquentis autem non ad illas adolescentulas, quæ cum ipsa currere solent, sed ad filias Jerusalem, quibus tanquam his quæ derogaverint fœderati eius, respondere videtur, & dicere: Fusca quidem sum, vel nigra, quantum ad colorem spectat, filia Jerusalem: formosa vero, si quis interna membrorum lineamenta perspiciat. Nam & tabernacula inquit, Cedar, quæ est gens magna, nigra sunt: & ipsa gens Cedar, nigredo, vel obscuritas interpretatur. Sed & pelles Salomonis nigre sunt: nec tamen ob hoc tanto regi, in omni gloria sua pallium vifa est indecora nigredo. Non ergo mihi ò filia Jerusalem, exprobetis culpam coloris: cum live naturalis, sive exercitio quaesita, corpori pulchritudo non desit. Hæc continet historicum drama, & propositæ fabule species. Sed redeamus ad ordinem mysticum. Hæc sponfa quæ loquitur, Ecclesiæ personam tenet ex gentibus congregatæ. Filia verò Jerusalem, ad quas ei sermo est, illæ sunt anime quæ propter electionem patrum, charissimæ quidem dicuntur, inimicæ autem propter Evangelium. Istæ sunt filie Jerusalem civitatis terrænæ, quæ videntes Ecclesiam ex gentibus, quamvis pro ignobilem, quod generositatem sibi Abraham, & Isaac, & Jacob non possit ascribere: obliviscentem tamen populum suum, & domum patris sui, atque ad Christum venientem, spernunt eam: & pro ignobilitate generis offuscant. Quod sponfa sentiens, filias prioris populi imputari sibi, & pro hoc etiam, nigram se appellari, quasi quæ paternæ eruditionis non habeat claritatem, respondens ad hæc dicit: Nigra sum quidem, ò filia Jerusalem: pro eo quod non descendendo de stirpe clarorum virorum: neque illuminationem Mosis legis accepi: habeo tamen pulchritudinem meam mecum. Nam & in me illud primum est, quod ad imaginem Dei in me factum est, nunc accedens ad Verbum Dei, recepi speciem meam. Quamvis enim pro coloris obscuritate, comparetis me tabernaculis Cedar, & pellibus Salomonis: tamen & Cedar ex Ismaele descendit. Secundo namque loco ex Ismaele natus est, qui Ismael non fuit expertus divinæ benedictionis. Sed & pellibus Salomonis comparatis me, quæ non alia sunt quam pelles tabernaculi Dei: & tamen miror vos ò filia Jerusalem, mihi coloris velle exprobrare nigredinem. Quomodo non meministi, quod in lege vestra scriptum est, quid passa sit Maria quæ derogavit Mose cum Æthiopiâ nigram accepisset uxorem? quomodo ignoratis illius imaginis adumbrationem in me nunc veritate compleri? Ego sum illa Æthiopiâ, ego sum nigra quidem pro ignobilitate generis: formosa verò, propter penitentiam & fidem. Suscepi enim in me Filium Dei, recepi Verbum carnem factum. Accessi ad eum, qui est Imago Dei, primogenitus omnium creaturæ, & qui est splendor gloriæ, & fulgor substantiæ eius, & facta sum formosa. Tu ergo quid improperas convertenti se à peccato, quod utique lex fieri vetat: & quomodo tu gloriaris in lege prævaricans legem? Verum quoniam in his locis sumus, ubi Ecclesia quæ ex gentibus venit, nigram se esse dicit: & formosam, quamvis longum videatur esse, & operosum colligere ex scripturis divinis, in quibus vel qualiter sacramenti hujus forma præcesserit, tamen non mihi penitus omittendum videtur, sed quam potuerit breviter memorandum. Primò ergo in Numerorum libro de Æthiopiâ ita scriptum est: Et locuta

est Maria ad Aaron, & derogaverunt Mose, propter mulierem Æthiopiâ quam accepit uxorem, & dixerunt: Nunquid Mose soli locutus est Dominus? Nonne & nobis locutus est? Et iterum in tertio Regnorum libro scriptum est de regina Saba, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: hoc modo, Regina Saba audivit nomen Salomonis: & nomen Domini: & venit tentare eum in Parabolis, & venit in Jerusalem in virtute magna valde: & cameli portantes odoramenta, & aurum multum valde, & lapidem pretiosum: & ingressa est ad Salomonem, & locutus est ei omnia verba quæ erant in corde suo. Et enunciavit ei Salomon omnia verba ejus. Et non fuit verbum quod omiserit rex, & non enunciaverit rex ei. Et vidit Regina Saba omnem prudentiam Salomonis, & domum quam edificavit, & cibos Salomonis, & sedem puerorum ejus, & ordinem ministrorum ejus, & vestes ejus, & vini fiores ejus, & holocausta ejus, quæ offerrebat in domo Domini: & obstupuit & dixit ad Regem Salomonem: Verus est sermo quem ego audivi in terra mea de verbo tuo, & prudentia tua: & non credidi his qui loquebantur mihi, usquequo venirent, & viderunt oculi mei: & ecce nec media pars est quæ nunciabantur mihi. Addidisti enim bona, super omnem auditionem quam audivi in terra mea. Beata mulieres tuæ, beati pueri isti qui assistunt in conspectu tuo semper: & audiunt omnem prudentiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui tibi dedit sedem Israel. Quoniam dilexit Dominus Israel, & voluit eum permanere in æternum: posuit te regem super eos, ut facias iudicium cum iustitia, & iudices eos. Et dedit Salomoni centum viginti talenta auri, & odoramenta multa valde, & lapidem pretiosum. Nunquam talia venerant odoramenta, nec in tanta multitudine, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni. Hanc autem historiam paulo latius repetere volumus, & inferere huic expositioni nostræ, scientes intantum convenire hæc ad personam Ecclesiæ, quæ ex gentibus venit ad Christum: ut ipse Dominus in Evangeliiis reginæ hujus faceret mentionem, dicens eam venisse à finibus terræ, ut audiret sapientiam Salomonis. Austri autem reginam dicit eam, pro eo quod Æthiopia in Austri partibus jaceat: & à finibus terræ, quasi in ultimo posita. Invenimus autem hujus ipsius reginæ etiam Josephum in historia sua facere mentionem, addentem etiam hoc, quod posteaquam regressa est, inquit, à Salomone, Cambyles Rex miratus ejus sapientiam, & sine dubio ex Salomonis sapientia susceperat, cognominavit, inquit, nomen ejus Meroën. Refert autem quod non solum Æthiopiæ, sed & Ægypti regnum tenuerit. Addeamus autem adhuc & ea quæ in sexagesimo septimo psalmo, de hac eadem forma continentur. Ait ergo ibi: Disperge gentes quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Est adhuc quarto in loco apud Sophoniam Prophetam de hac eadem figura, hoc modo scriptum: Propterea sustine me, dicit Dominus, in die retributionis meæ in martyrio: hoc est in testimonio: quoniam iudicium meum est ad congregationes gentium, ut suscipiam reges, & effundam super eos omnem iram indignationis meæ: in igne zeli mei consumetur omnis terra. Quoniam tunc convertam in populi linguam in generationem ejus: ut invocent omnes nomen Domini, & serviant ei sub jugo uno. De ultra flumina Æthiopiæ suscipiam eos qui dispersi sunt, & offerent sacrificium mihi. In die illa non confunderis Saba ab omnibus adventionibus tuis, in quibus impiè egisti in me. Sed & in Jeremia scriptum est: quod principes quidam populi Israel miserint Jeremiam in lacum Melchæ filii Regis, qui erat in domo carceris: & deposuerunt eum cum funibus, & in lacum non erat aqua, sed cænum: & erat in cæno. Audiens autem Abdimelech Æthiops, vir eunuchus, qui erat in domo Regis, quia miserunt Jeremiam in lacum: locutus est Regi, & dixit: Domine Rex, malè fecerunt viri isti omnia quæ fecerunt in Jeremiam Prophetam, quia miserunt eum in lacum, & morietur ibi à facie famis: quoniam non sunt jam panes in civitate. Et præcepit Rex ipsi Abdimelech Æthiopi, dicens: Tolle hinc triginta homines, & educ eum de lacu, ut non ibi moriatur. Et quid plura? Abdimelech Æthiops fuit qui Jeremiam eduxit de lacu. Et paulo post factus est sermo Domini ad Jeremiam, dicens: Vade & dic Abdimelech Æthiopi, dicens: sic dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego adduco verba mea super civitatem istam in mala, & non in bona: & salvabo te in die illa, & non dabo te in manus hominum quos tu times. A facie eorum salvans salvabo te: & in gladio non cades,

R r

sed erit anima tua in salutem: quoniam confisus es in me, dicit Dominus. Hæc interim ad præsens de Scripturis sanctis occurrere poterunt, quibus mihi videtur propositi de Cantica Cantorum vericuli mysterium comprobari: in quo dicit: Fulca sum, sive nigra, & formosa filia Jerusalem, sicut tabernaculum Cedar, & sicut pelles Salomonis. Invenitur ergo Moyses in Numeris accepisse Æthiopiis uxorem fulcam vel nigram: pro qua Maria & Aaron derogant ei, & indignantes dicunt: Nunquid Mose soli Dominus locutus est? nonne & nobis locutus est? In quo si diligenter consideres, nec consequentiam sermo invenitur habere historicus. Quid enim convenire ad rem videbitur, ut indignantes pro Æthiopiis dicant: Nunquid soli Mose locutus est Dominus: nonne & nobis locutus est? Oportebat enim, si hoc erat in causa, dici ab eis: & vidisse quod jam Moyses, id est, spiritualis lex, in nuptiis & conjugium congregat ex gentibus migraret Ecclesia: & Mariam, quæ synagogæ derelictæ formam: & Aaron, qui sacerdotii carnalis tenebat imaginem, videntes ablatum esse à semetipsis regnum: & datum esse geni facienti fructus ejus, dicere: Nunquid Mose soli locutus est Deus: nonne & nobis locutus est? Denique & Moyses ipse, cum tanta & tam magnifica ejus opera fidei ac patientiæ referantur: nunquam tantis a Deo elatus est laudibus, ut nunc cum Æthiopiis duxit uxorem. Nunc de eo dicitur, quia Moyses, homo mansuetus valde super omnes qui sunt super terram: nunc & illud de eo dicit Dominus: quia si fuerit in vobis Propheta, in visionibus loquar ei aut in somniis: non ita ut famulo meo Mose: quia in omni domo mea fidelis est. Os ad os loquar ad eum. In specie, & non in ænigmate gloriam Domini vidit. Et cur non timuisset detrahare famulo meo Mose? Hæc omnia pro conjugio Æthiopiis Moyses audire meruit à Domino. Verum de his plenus in libro Numerorum profectus sumus: quæ si quis dignum iudicat noscere, illa perquirat. Nunc autem sufficiat approbare ex his, quod ipsa est nigra, & formosa, & Æthiopiis, quam Moyses, id est, lex spiritualis, quæ sine dubio Verbum Dei & Christus est, in conjugium suum ascendit: licet obtrectent, & derogent filia Jerusalem, plebs scilicet ista cum sacerdotibus suis. Videamus autem & ea quæ ex tertio Regnorum libro protulimus de Regina Saba, & ipsa nihilominus Æthiopiis, cui testimonium dat Dominus in Evangeliiis: quod in die iudicii veniat cum viris generationis incredulæ, & condemnet eos: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & addit: Quia plus Salomone hic docens per hoc plus esse veritatem, quam veritatis figurat. Venit ergo & hæc, imò secundum figuram ejus, Ecclesia venit ex gentibus audire sapientiam Salomonis veri, & veri pacifici Domini nostri Jesu Christi. Venit & hæc primo quidem tentans eum per ænigmata, & questiones quæ ei prius insolubiles videbantur: atque ab ipso de agnitione veri Dei, & de creaturis mundi, vel de immortalitate animæ, & iudicio futuro: quod apud eam, & apud doctores ejus, gentiles duntaxat philosophos, incertum semper, aut dubium manebat, absolvitur. Venit ergo in Jerusalem, ad visionem scilicet pacis, cum multitudine & virtute multa. Non enim cum una sola gente, ut prius synagoga solos habuit Hebræos, sed cum totius mundi gentibus venit: deferens etiam munera digna Christo: odoramentorum siquidem suavitates: opera scilicet bona, quæ ad Deum per odorem suavitatis ascendunt. Sed & auro venit repleta, sensibus sine dubio, & rationalibus disciplinis, quas ante fidem adhuc ex communi & scholari eruditione collegerat. Detulit etiam lapidem pretiosum, quem ornamenta morum postulamus intelligere. Cum hoc ergo apparatu intrat ad pacificum Regem Christum, & ipsi aperit cor suum, in confessione & penitentia, scilicet præcedentium delictorum: & locuta est ei omnia quæ erant in corde suo. Propter quod & Christus, qui est pax nostra, enuntiavit ei omnia verba ejus: & non est verbum quod omiserit Rex, & non enuntiaverit ei. Denique cum jam tempus passionis appropinquaret, sic loquitur ad eam: id est, ad electos discipulos suos: Jam non dicam vos servos, sed amicos: quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Ergo autem nota feci vobis omnia quæcumque audivi à patre meo. Sic ergo impletur quod dixit: quia non fuerit verbum, quod non enun-

ciaverit pacificus Dominus Regina Saba: id est, Ecclesie ex gentibus congregatæ. Quod si intuearis Ecclesie statum, & dispersiones ejus ordinationesque ejus consideres: tunc advertes quomodo regina mirata sit omnem prudentiam Salomonis. Simul & require, cur non dixerit, omnem sapientiam: sed, omnem prudentiam Salomonis: quoniam quidem erudit viri prudentiam de humanis negotiis, sapientiam de divinis intelligi volunt. Idcirco fortassis & Ecclesia nunc interim Christi prudentiam miratur, dum in terris est, & inter homines conversatur. Cum autem venerit quod perfectum est, & de terris translata fuerit ad cælum, tunc videbit omnem sapientiam ejus, cum jam non per speciem, non per ænigmata, sed facie ad faciem de singulis quibusque perspiciet. Vidit autem & domum, quam ædificavit, sine dubio incarnationis ejus mysteria. Ipsa est enim domus quam ædificavit sibi sapientia: vidit & cibos Salomonis: illos puto, de quibus dicebat: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me: ut perficiam opus ejus. Vidit & sedem puerorum ejus: Ecclesiasticum puto ordinem dicit, qui in Episcopatus, vel Presbyterii sedibus habetur. Vidit & ordinationes sive stationes ministrorum ejus. Diaconorum ut mihi videtur ordinem memorat, astantium divino ministerio. Sed & vestes ejus vidit: illas credo quibus induit eos, de quibus dicitur: Quicumque autem in Christo baptizati estis, Christum induistis. Sed & vini fufiores ejus, arbitror dici doctores, qui Verbum Dei & doctrinam quasi vinum populis miscent: quod auditorum corda lætificat. Vidit & holocausta ejus, orationum sine dubio supplicationumque mysteria. Hæc ergo omnia ubi vidit in domo Regis pacifici, imò Christi: nigra hæc & formosa, obstupuit, & ait ad eum: Verus est sermo quem audivi in terra mea, de verbo tuo, & de prudentia tua. Propter enim verbum tuum quod agnovi verum esse verbum, veni ad te. Omnia etenim verba quæ mihi dicebantur, & quæ audiveram cum essem in terra mea, à doctores scilicet sæculi, & philosophis, non erant vera: istud est solum verum verbum quod est in te. Sed fortassis querendum videbitur: quomodo dicat Regi Regina hæc: quia non credidi his quæ dicebantur mihi de te: cum utique nec venisset ad Christum, nisi credidisset. Sed vide si possumus hoc modo solvere quod proponitur. Non his, inquit, credidi qui loquebantur mihi. Non enim fidem meam in illos qui locuti sunt de te, sed in te direxi: id est, non hominibus, sed tibi credidi Deo. Et per illos quidem audivi: ad te autem veni, & tibi credidi. Apud quem multo plura viderunt oculi mei, quam annunciabantur mihi. Revera enim cum pervenerit nigra hæc & formosa in Jerusalem cælestem, & ingressa fuerit visionem pacis: multo plura & magnificentiora, quam nunc ei sunt annunciata perspiciet. Nunc enim tanquam in speculo, & ænigmate: tunc autem videbit facie ad faciem, cum consequetur ea quæ oculus non vidit: nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderit. Et tunc videbit, quia nec mediæ eorum est quæ audivit in hac via terra posita. Beatæ ergo sunt mulieres Salomonis, animæ sine dubio, quæ Verbi Dei & pacis ejus participes sunt. Beati pueri ejus, qui assistunt in conspectu ejus semper: non illi qui aliquando assistunt, & aliquando non assistunt: sed qui semper & sine intermissione assistunt Verbo Dei, verè beati sunt. Talis erat & illa Maria, quæ sedebat secus pedes Jesu, & audiebat eum cui & testimonium reddidit ipse Dominus, dicens ad Martham, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Adhuc nigra hæc & formosa dicit, Benedictus qui voluit dare te super sedem Israel. Verè enim quia dilexit Dominus Israel, & voluit ut staret in æternum: posuit te Regem super eum. Quem? Pacificum sine dubio: Christus enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem sepi solvit. Et post hæc omnia dedit, inquit, centum viginti talenta auri Regi Salomoni regina Saba. Numerus hic centum viginti, consecratus est vite hominum, eorum qui fuerunt in diebus Noë, quibus istud conceditur spatium vite, quo invitantur ad penitentiam. Ipse autem numerus annorum & Mose vite fuit. Offert ergo Christo Ecclesia in auri specie & pondere, non solum multitudinem sensuum suorum & intellectuum, sed legi Dei consecratos indicat sensus suos, per hunc qui Mose annos vite continet numerum. Offert etiam suavitates odoramentorum, quales & quantæ nunquam venerant. Vel orationes in hoc, vel opera misericordie intellige, nunquam enim vel tam rectè oraverat, ut nunc cum accessit ad Christum, vel tam pie operata fuerat, ut cum cognovit justitiam suam non facere coram hominibus, sed

coram patre, qui videt in abscondito, & reddet palam. Sed multum est alienis in locis simul universa persequi hæc, quæ nec testimonii gratia videntur assumpta. Sufficiat ista de tertio libro Regnorum. Videamus aliqua & ex his quæ de sexagesimo septimo psalmo protulimus, ubi ait, Æthiopia prævenit manus ejus Deo. Si enim intuearis, quomodo ex delicto Israel sit salus gentibus, & quod illorum lapsus, introeundi viam nationibus dedit: advertes quomodo prævenit & præcedit Æthiopia manus, hoc est, gentium populus illos ad Deum, quibus primis data sunt eloquia Dei, & in hoc compleri, Æthiopia prævenit manus ejus Deo, & sic nigra ista formosa, etiam si nolunt, etiam si invident, & obtrectant filia Jerusalem. Sed & Prophetæ testimonium quod posuimus: ubi suscepit Dominus etiam eos qui veniant de locis quæ sunt ultra flumina Æthiopia & afferunt hostias Deo, simili sensu advertendum puto. Videtur enim mihi, quod ultra flumina Æthiopia esse dicitur ille, qui nimis & superabundantibus peccatis infuscatus est: & atro malitiæ furo infectus, niger & tenebrosus est redditus: & tamen ne hos quidem repellit Dominus, sed omnes qui sacrificia contribulati spiritus, & humiliati cordis offerunt Deo, confessionis scilicet, ac penitentia titulo ad eum conversi, non repelluntur ab eo. Sic enim pacificus dicit Dominus noster: Ego venientem ad me non repello. Potest autem & de illis dictum videri: quod ultra flumina Æthiopia positi, venient etiam ipsi ad Deum hostias deferentes: qui postea quam intraverit omnis plentudo gentium, quæ fluminibus Æthiopia comparatur: venient etiam ipsi & tunc omnis Israel salvabitur: & pro eo ultra flumina Æthiopia dicantur, quasi qui ulteriores, & posteriores sint his spatiis, in quibus currit inundatque gentium salus. Et ita fortè compleri videtur hoc quod dicit: quia in die illa non confundèris omnis Israel, ex omnibus adinventioibus tuis, quibus imple egisti in me. Superest ut illud testimonium, quod de Jeremia assumptum explicetur: ubi Abdimelech nihilominus Æthiops vir eunuchus, cum audisset quia Jeremias in lacum missus est à principibus populi, educit eum inde. Et puto inconveniens non videri, si dicamus quem principes Israel condemnaverunt, & in lacum mortis miserunt, iste alienigena & obscurus gentis homo, & degeneris: id est, populus gentium educit eum de lacu mortis: resurrectionem scilicet ejus à mortuis credens, & fide sua hunc quem illi in mortem tradiderant, iste de infernis revocat ac reducit. Sed & eunuchus hic Æthiops esse dicitur, credo quod castraverit semetipsum propter regnum Dei, vel etiam quod semen malitiæ in semetipso non habebat, servus quoque est Regis, quia servus sapiens imperat stultis dominis. Interpretatur autem Abdimelech, servus Regum. Et ideo Dominus relinquitur populum Israel pro peccatis suis, ad Æthiopia verba dirigit, & ad ipsum mittit Prophetam, & ipsi dicit: Ecce ego adduco verba mea super civitatem istam in mala & non in bona, & salvabo te in die illa, & non te dabo in manus hominum, sed salvans salvabo te. Salus causa hæc est ei, quia eduxit Prophetam de lacu; id est, quod fide sua Christum resurrexisset credat à mortuis, eduxisset eum ex lacu videtur. Habet ergo plurima testimonia fusca hæc vel nigra & formosa, in quibus liberè agat, & cum fiducia dicat ad filias Jerusalem, quia fusca sum quidem vel nigra, sicut tabernacula Cedar, formosa autem sicut pelles Salomonis. De pellibus Salomonis scriptum aliquid propriè non memini. Puto autem referri posse ad gloriam ejus, de qua dicit Salvator, Quia nec Salomon in omni gloria sua operatus est sicut unum horum. Nomen tamen ipsum pellium in tabernaculo testimonii invenimus frequenter referri, sicut cum dicit, Et facies pelles ex caprarum pilis operimentum super tabernaculum, testimonii undecim pelles facies. Longitudo pellis unius triginta cubitorum, latitudo quatuor cubitorum. Eadem mensura erit undecim pellibus. Et conjunges quinque pelles simul, & alias sex simul, & replicabis sextam pellem à fronte tabernaculi, & facies quinquaginta ansulas per oram pellis unius, & quinquaginta ansulas per oram pellis alterius, per quas conjungantur una ad alteram: & facies circuitos areos quinquagenos: & conjunges ex ipsis pelles: & erit unum totum. Et replicabis quod superest ex pellibus medietatem pellis unius à fronte tabernaculi; & ex alia medietate quod superest velabis posteriora tabernaculi: cubitum hinc & cubitum inde: ex eo quod abundat in longitudine pellium: & erit ad operum tabernaculum ex lateribus hinc & inde. Puto ergo quod harum pellium mentio fiat in Cantico Cantorum.

corum: & iste dicantur esse Salomonis, qui accipitur in pacificum Christum. Ipsi ergo est tabernaculum, & ea quæ ad tabernaculum pertinent: & præcipuè si illud tabernaculum consideremus quod dicitur tabernaculum verum, quod fixit Deus & non homo: & quod ait, non enim in manu facta sancta intravit Jesus exemplaria verorum. Si ergo pulchritudinem suam sponsa pellibus comparat Salomonis: illarum sine dubio pellium gloriam & pulchritudinem dicit: quæ operunt illud tabernaculum quod fixit Deus, & non homo. Si verò nigredinem suam, quæ exprobrari à filiabus Jerusalem videbatur, pellibus contulit: Salomonis hujus tabernaculi, quod exemplar veri tabernaculi vocatur, accipiendæ sunt pelles: quasi quod & ipsæ nigre sint quidem utpote caprarum pilis textæ: & tamen usum ornatumque exhibeant divino tabernaculo. Quod autem videtur esse persona una quæ loquitur: & pluribus se vel tabernaculis Cedar, in nigredine, vel Salomonis pellibus comparavit: ita accipiendum est, quia una quidem persona videtur Ecclesie: innumeræ tamen sunt quæ per orbem terræ diffusa sunt, atque immensæ congregationis ac multitudinis populorum. Sicut & regnum cælorum unum quidem dicitur, sed multæ tamen in eo mansiones memorantur esse apud patrem. Potest autem & de unaquaque anima, quæ post peccata plurima convertitur ad penitentiam, dici: quod nigra sit quidem pro peccatis: formosa, propter penitentiam & fructus penitentia. Denique & de hac ipsa quæ nunc dicit, nigra sum & formosa, quia non in finem in nigredine ista permansit, post hæc dicitur de ea ipsa filia Jerusalem: Quæ est ista quæ ascendit dealbata, incumbens super fratrem suum? Ne videatis me; quoniam infuscata sum ego: quia despexit me sol. Infuscata, sive denigrata. Si competenter nobis videtur aptata expositio, quam in superioribus, vel de Æthiopiis quæ à Mose suscepta est in conjugium: vel de Regina Saba Æthiopia, quæ sapientiam Salomonis venit audire, texuimus: merito nunc hæc quæ fusca, vel nigra est & formosa, satisfacere videtur pro nigredine, vel fulcatione sua, causasque reddere exprobrantibus, quasi quæ non natura talis, nec ita à conditore creata sit: sed ex accidentibus hoc passa sit. Ex eo, inquit, quia sol despexit me. In quo ostendit non de nigredine corporis fieri sermone: quod utique sol obscurare, & denigrare solet, cum respicit magis, quam cum despiciat. Ita denique & apud illam omnem gentem Æthiopia ferunt: cui jam naturalis quadam inest ex seminis carnalis successione nigredo, quod in illis locis sol radiis acrioribus fervat: & adulta jam semel atque infuscata corpora, genuini vitii successione permanent. Contrarii verò ordinis est animæ nigredo. Nam neque aspectu, sed despectu solis inuritur: neque nascendo, sed negligendo conquiritur: & ideo sicut ignavia assumitur, ita & industria repellitur & repulfatur. Denique (ut superior dixi) hæc ipsa quæ nunc nigra dicitur esse: in fine Cantici hujus dealbata memoratur ascendere, incumbens super fratrem suum. Effecta est ergo nigra, quia descendit. Si autem cœperit ascendere, & incumbere super fratrem suum, & adherere ei, nec omnino separari ab eo, erit dealbata, & candida: abjectaque omni nigredine, veri luminis luce circumfusa radiabit. Dicit ergo nunc ad filias Jerusalem, pro nigredine sua satisfaciens: Non putetis à filiis Jerusalem, quod naturalis est ista nigredo, quam videtis in vultu meo; sed scitote, quoniam despectu solis est facta. Sol enim justitiæ, quia me non invenit rectè stantem, nec ipse in me rectos direxit lucis suæ radios. Ego enim sum populus gentium, qui prius non aspexi ad solem justitiæ, nec steti ante Dominum: & ideo nec ille me aspexit, sed despexit: neque altitudo mihi, sed præterit. Hoc autem ita esse, etiam tu qui Israel diceris, te ipsa expertus jam jamque cognosces, & dices. Sicut enim me aliquando non credente tu assumptus es, & misericordiam consequutus, & te respexit sol justitiæ: me autem utpote inobedientem, & incredulum despexit, & sprevit: ita & nunc quia tu incredulus, & inobediens factus es, ego spero respici à sole justitiæ, & misericordiam consequi. Quod autem mutua nobis sit solis ista despectio, & ego primò pro inobedientia mea despectus sum, tu verò despectus: nunc autem etiam tibi non solum despectus solis, sed & cæcitas quadam licet ex parte contigerit, testem tibi producam magnificum, & cælestis secreti concitium Paulum, qui ita dicit: Sicut enim vos (de gentibus sine dubio loquens) aliquando non credidistis Deo; nunc autem misericordiam consequuti estis propter istorum incredulitatem: ita & isti non